

puli, quum Græci, tum Brutii, bellorum violentia coacti, Pœnis se dederunt. At in Hispania, Sicilia, & tota fere Italia, quot alii populi, quot urbes, quot gentes, Hannibalem sequebantur? Et nihilofecius de regionibus illis nihil male actum dicitur, nulla irrogata pœna fabulatur, nulla commentitia injuria asferitur, nullum horrendum facinus proclamatur; quemadmodum contra Brutios fieri, justii rerum æstimatores, & non conviciandi libidine æstuantes, jure merito indignantur.

De sola Herina, ait Strabo lib.6. apud Marafioti, lib.3. c.25. f.222., quod quum eam Hannibal vi occupasset, eam tamen in sua fide retinere desperavit; ac proinde vix ceptam, solo æquavit. *Huic (Temesæ) proxima Herina est, quam quum Hannibal tutari posse desperaret, solo æquavit.* Non absimile accidisse scribitur Pandosia, aliisque Brutiorum urbibus. Et hoc ne alteram ob causam, quam ob urbium illarum erga Romanam Rempublicam fidem, quam, etiam vitæ, perdere renuebant? Ostendant Adversarii in aliarum provinciarum populis æqualem amorem, & parem fidem.

Et ob hanc fidem, & amorem, quot & quanta passi sunt Brutii a Pœnorum ira, & armis? In fragmentis quibusdam hæc verba leguntur, quæ a Dominico Martyre, in suo alias laudato opere, recitantur: *Lucani, & Brutii, propter prælia, & incursiones tam Romanorum, quam Carthaginensium, pene consumpti sunt, & præcipue Temesani, Crotonenses, & Herinenses.* Et hoc sane, quia vix quum iisdem liberum esset, illico ad Romanorum amicitiam, & societatem, redibant. Quapropter apud Appianum etiam hunc, cum quo hîc nobis res est, leguntur verba, quæ a Dominico

Mar-